

P R A E F A T I O.

cum homines rationes & cogitationes omnes
 suas in philosophia constituerent: tum profe-
 cto cœpit esse, cum auus tuus, ad Christianæ Rei-
 publicæ, nimium magno periculo fluctuantis,
 gubernacula Dei iussu accersitus, sedit in sede
 Pontificia Pontifex dignissimus, ea præditus non
 solum auctoritate, sed etiam sapientia, ut hic
 nos in tantis tempestatibus seruare solus a nau-
 fragio possit. cumque laudandus est maxime,
 quod optime ipse sentit, optimis semper in studijs
 consilijsque defixus; tum, quod optimos viros ad-
 sciuit sibi & consiliarios, & sua voluntatis ad-
 ministros. in quo ego tantum soleo ponere, ut, si
 mihi ad alterutrum eligendum optio detur, non
 bonum Principem malim cum bonis admini-
 stris, quam bonum cum sui dissimilibus. sed be-
 ne, quod habemus utrumq; & Pontificem, qua-
 lem res poscebat; & collegium tali pontifice di-
 gnissimum. itaque nunc emergit virtus: hone-
 stum reuocatur: deserta per multos annos litteræ
 patronos habent, diuq; ut auguror, habebunt.
 Tu, Rainuti, fraterq; tuus, duo clarissima Italiae
 lumina, uterq; Cardinalis, & Cardinalis uterq;
 optimus, præclaram consuetudinem tenebitis ab
 auo traditam. certe enim non ideo te Patavij
 per tot annos summi doctores erudierunt, ut ea,